



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. Quid & quotuplex est Adoratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Deum, quām objecta aliarum virtutum moralium.

Actus præcipui Religionis sunt adoratio, Sacrificium, oratio, devotio, quæ est prompta, & efficax voluntas præstandi ea, quæ ad Dei obsequium pertinent: item laus Dei, gratiarum actio, votum, jumentum, administratio, & susceptio Sacramentorum, &c.

Porro tenemur Deum colere non solum aëtibus internis, sed etiam externis, nam cùm spiritu, & corpore constemus, tene-  
mur utriusque aëtibus colere Deum, ut-  
pote utriusque principium.

## CAPUT I.

*De Adoratione, Oratione, & speciatim de Horis Canonicis.*

Q. I. *Quid, & quotplex est Adora-  
tio?*

Resp. Adoratio latè sumpta est actus, quo testificamur alterius excellentiam, & nostram erga illum submissionem ob ejus excellentiam. Hinc complectitur non solum excellentiæ alterius significationem, qui est propriè honor: sed etiam submissionem, & hujus testificationem, quam utramque superaddit honori. Consistit formaliter tum in voluntate testificandi ex-

excellentiam alterius, & se illi submittendi, hujusque submissionis signum exhibendi ob ejus excellentiam: tum in exhibitione talis signi.

Adoratio latè sumpta dividitur 1. in Latriam, quæ exhibetur Deo ob increatam, & infinitam ejus excellentiam: in Duliam, quæ exhibetur Sanctis ob eorum creatam excellentiam supernaturalem: in Hyperduliam, quæ Sanctissimæ Virgini Dei Matri ob singularem ejus supra omnes Santos & Angelos excellentiam supernaturalem creatam exhibetur: & in Politicam, quæ defertur viris Principibus, Sapientibus, &c. ob creatam excellentiam naturalem, ut potentiam, sapientiam, &c. 2. In absolutam, qua persona adoratur propter excellentiam sibi intrinsecam: & in relativa, qua aliquid adoratur ob excellentiam personæ, ad quam habet habitudinem aliquam, vel conjunctionem.

Adoratio verò strictè sumpta est cultus Latræ Soli Deo debitus, consistens in actu, quo testificamur increatam, ac infinitam Dei excellentiam, & nostram summam submissionem erga Illum, agnoscimusque supremum Ejus in res omnes Dominium, juxta illud Matt. 4. *Dominum Deum tuis adorabis, & Illi soli servies.* Constat autem 1. Solum Deum adorandum esse cultu Latræ, Santos verò colendos esse cultu Duliz, & B. V. cultu Hyperduliz.

I i 5                    Nam

Nam adoratio debet esse commensurata excellentiæ, cùm propter illam exhibetur, 2. Christi, B. Virginis, & Sanctorum imagines, & Reliquias colendas esse cultu relativo proportionato personæ, cujus sunt. Adoratio enim imaginis consistit in signo aliquo externo submissionis, ac reverentiæ exhibito imagini propter excellentiam prototypi, ad testificandum submissionem nostram internam erga ipsum prototypum, hujusque excellentiam ac superioritatem agnoscendam, ex Trid. Sess. 25.

*Q. 2. An & qualis Oratio est precepta?*

*Not.* Oratio latè est Ascensio mentis in Deum: sive quivis pius animæ motus, seu affectus in Deum, qualis est actus Fidei, Spei, Amoris, laudis, gratiarum action, &c. Strictè sumpta est petitio decentium Deo facta sive immediate, sive mediante Sanctorum intercessione. Duplex est oratio, scilicet mentalis, quæ fit sola mente: & vocalis, quæ non solùm mente fit, sed etiam voce exprimitur. Hæc dividitur in privatam, quæ fit à persona privata, ac privato nomine: & in publicam, quæ fit à Communitate, vel à Ministro nomine Communitatis: hinc recitatio Breviarii, privatim à Clerico facta, est oratio pub-